Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



·I· Re

Inuel lapidem unum · & posuit eum inter maspha · & inter sen · & uocauit nomen loci illius lapis adiutorii · dixitq; hucusq; auxiliatus est nobis dominus · & humiliati sunt philisthei · nec apposuerunt ut uenirent ultra in finibus israel · fuit autem manus domini super philisthiim cunctis diebus samuelis · Et reddite sunt ciuitates quas tulerant philisthiim ab israel israel · ab accaron usq; geth · & fines suos liberauitq; israel de manu philisthiim · Erat quoq; pax inter israel & amorreum · Iudicabat quoq; samuel israel cunctis diebus uite suae · & ibat p singulos annos circuiens bethel & galgala & maspha · & iudicabat israelem in supdictis locis · reuertebaturq; in ramatha · Ibi enim erat domus eius · & ibi iudicabat israelem · Edificauit etiam ibi altare

Factum est · VIII · domino autem cum senuisset samuel posuit filios suos iudices israel · Fuitq; nomen filii eius primogeniti · Iohel · & nomen secundi abia · iudicium iuberabant · Et non ambulauerunt filii illius in uiis eius · sed declinauerunt post auaritiam · acceperuntq; munera · & peruerterunt iudicium · Congregati ergo omnes maiores israel · uenerunt ad samuelem in ramatha · dixeruntq; ei · Ecce tu senuisti · & filii tui non ambulant in uiis tuis · Constitue nobis regem ut iudicet nos · sicut omnes habent nationes · Displicuitq; sermo in oculis samuelis · eo quod dixissent da nobis regem ut iudicet nos · Et orauit samuel ad dominum · Dixitq; autem dominus ad samuelem · Audi uocem populi in omnibus quae loquuntur tibi · Non enim te abiecerunt sed me ne regnem super eos · iuxta omnia opera sua quae fecerit a die qua eduxi eos de egypto usq; ad diem hanc · Quomodo dereliquerunt me & seruierunt dis alienis · sic faciunt etiam tibi · Nunc ergo audi uocem eorum · Verumtamen testare eis · & predic eis ius regis qui regnaturus est super eos · Dixit itaq; samuel omnia uerba domini ad populum qui petebat a se regem · & ait · Hoc erit ius regis qui imperabit uobis · filios uestros tollet & ponet eos curribus suis · facietq; sibi equites & cursores quadrigarum suarum · & constituet sibi tribunos & centuriones · & aratores agrorum suorum · & messores segetum · & fabros armorum · & curruum suorum · filias quoq; uestras faciet sibi unguentarias & cocas · & panificas · Agros quoq; uestros & uineas & oliueta optima tollet · & dabit seruis suis · Sed & segetes uestras & uineas reddet decimabit · ut det eunuchis & famulis suis · Sed & uestros & asinos & ancillas & iuuenes optimos · & asinos auferet & ponet in opere suo · Greges quoq; uestros decimabit · uosque eritis ei serui · & clamabitis in die illa a facie regis uestri quem elegistis uobis · & non exaudiet uos dominus in die illa · quia petistis uobis regem · Noluit autem populus audire uocem samuelis · sed dixerunt · Nequaquam · Rex enim erit super nos · et erimus nos quoque sicut omnes gentes · & iudicabit nos rex noster · & egredietur ante nos · & pugnabit bella nostra pro nobis · & audiuit samuel omnia uerba populi · & locutus est ea in auribus domini · Dixitque autem dominus ad samuelem · Audi uocem eorum · & constitue super eos regem · & ait samuel ad uiros israel · Vadat unusquisque in ciuitatem suam · IX ·

Erat uir de beniamin nomine cis · filius abiel · filii seror · filii zeror · filii aphiah · filii uiri gemini · fortis robore · & erat cis filius nocabulo saul · electus & bonus · & non erat uir de filiis israel